

1204, 13
24
39
15

CHRISTIANI VVILDVOGELII JCT.

CONSILIARII SAXO - ISENAC. INTIMI
IN ACADEMIA JENENSI
ANTECESSORIS

COLLEGII JVRIDICI h. t. DECANI

PROGRAMMA INAUGURALE

DE

TESSERA FRVMEN-
TARIA.

ad

L. LII. §. i. D. d. Judic.

p.p. die XXVI. Maij. A. O. R. MDCCIV.

Litteris Müllerianis.

Nom. Sam. Eilhard

CHRISTIANI AVVADAOGETHIC.

CONTRAPUNTO A 5 VOCI.

IN 4 PARTES DIVISUS.

ANTECORDI.

CHORAL-PARTS IN 4 PARTES.

ALLEGORIAE ET ALLEGORIE.



Uanta fuerit veterum Imperatorum Romanorum in regenda publica re, prudentia, & in conservandis civibus solertia, vel ex eo satis colligitur, quod augendæ annonaæ omnem adhibuerint curam, maximumque laborem pro sublevanda egenorum ac pauperum necessitate strenuè suscepérint. Testantur id ipsum innumeræ fere de frumentis, annona civili pariter ac militari, ejusdemque præfetis, de panibus, de horreis publicis, aliisque eò pertinentibus rebus conceptæ leges, quæ hodienum in Constitutionum Imperatoriarum codicibus variis conspiciuntur, & de indefesso pietatis juxta & amoris erga subditos exercitio luctulentum præbent argumentum. Nec enim illustriorem heroës isti nominis famæque splendorem acquiri, neque animos civium magis sibi obstringi arbitrati sunt, quam studio isto, quod in statu Reip. tam pacato, quam turbato, ad promovendam singulorum

Az

utilita-

utilitatem demonstrarunt, in primis, cùm non nummis corradienis incubuerint, nec suum ipsorum aut ærarii quasiverint commodum, sed liberalitatem potius hac in parte exhibuerint incredibilem & Regibus sive Imperantibus verè dignam. Ex innumeris unicum saltem proferam exemplum, largitionis nimirum frumentorum, quæ vel exiguo admodum pretio, vel gratis populo data fuerunt, ita ut Julius Cæsar Magni Plebicolæ nomen apud historicos inde meruerit, & de Octaviano Augusto, quod militem donis, populum, annonam, cunctos dulcedine otii pellexerit, Tacitus affimet, quin & flagitosissimus mortalium Nero juxta ac sequentes Imperatores nil quicquam hac quidem in parte desiderari in se passi fuerint vid. Panciroll. in *Nolit dignit. illuſtr. Imp. Occid. cap. 5.* Francisc. de Amany obf. lib. 3. cap. 4. n. 27. Ad frumentarias istas largitiones exercendas non Curatores solum *curāvay* dicti, *l. fin.* §. 5. d. *muner.* & *hon.* sed & distributores constituebantur, iisque simul jurisdictio quædam tribuebatur, ut Magistratus, tūm honores, tūm etiam jus & auctoritatem gereret, uti ex *l. fin.* *quod cum coqui in. al. pot. colligit* Panciroll. *d. tr. cap. 9.* Ad distributionis vero modum illud inter cætera spectare videtur, quod TESSERIS certis ea peracta fuerit, quæ proinde TESSERAÆ FRUMENTARIAE audiunt, & quarum non uno in loco, juris nostri civilis mentio inüicitur. Cum autem, quid per tesseras illas intelligatur, obscurum quadam videri posset, pauca quædam de iisdem hic annotare licebit. Accursius equidem ad *l. 49. 6. 1. d. leg. 1.* Frumentariam tessera mynas quoddam, seu mensura ge-

nus

us fuisse putat , quo soli cives Romani & eo solo
 mensurarint , nec alibi eam mensuram extitisse , intre-
 pidè statuit , atque easdem hasce nugas ad l. 87. d. leg.
 2. nec non ad 1.52. §. 1. d. judic. audacter repetit . Quo porrò
 in loco derivationem nominis notat , & à græco verbo
~~τέσσαρες~~ illud descendere , adeoque cuiuslibet mensuræ
 quartam partem denotare scribit . Licet verò quoad vocis
 etymon Accursius consentientem habeat Adrian. Tur-
 neb. *Advers. lib. 19. cap. 26.* itemque quoad ipsam si-
 gnificationem Alex. ab Alexandro *genial. dier. lib. 4. cap.*
 2. non penitus à Glossatore ab ludat ; Rectè tamen Mer-
 cerus *in not. ad Alexand. d. cap. 2.* ridiculum planè vocat
 eundem cætera doctissimum scriptorem , quod is tes-
 seram pro mensurâ frumenti venditare audeat , cum
 symbolum duntaxat fuerit accipendi frumentum , non
 solum in castris , sed etiam in urbe . Tesseræ equidem
 vocabulum varios admittit significatus : aliquando
 enim pro talo aut cubo , quo ludere solemus , accipitur ,
 ut cum Cicero *in Caton. maj.* scribit . *Nobis senibus ex lu-*
sionibus multis talos relinquant & TESSERAS , quales tes-
 seræ olim & Lepuscui dicebantur , eò quod exiliendo
 decurrant , annotante Christoph. Colero *ad Alex. ab*
Alexand. gen. dier. lib. 3. cap. 21. Nonnunquam etiam
 figuram geometricam quadratam denotat , unde *pari-*
menta tessellata i. e. interprete Salmasio , calculis qua-
 dratis in varios colores tinctis , consita Iulium Cæarem
 in expeditionibus circumulisse , Suetonius scribit *in*
Jul. Ces. cap. 46. Frequentius tamen pro signo quo-
 dam ponitur , seu symbolo ad rem aliquam vel factum

A 3

deno

denotandum adhiberi solito. Et in hoc significatu com-
muniter usurpatur à scriptorib s , varièque pro diver-
sitate objecti dividitur , ita ut alia dicatur *Tessera hospiti-*
talitatis , qua prolata hospites agnoscebantur , unde
proverbium : *Tesseram hospitalitatis confringere* , apud
Erasm. in Chiliad. cent. io. cap. 50. alia vocetur *Tessera milita-*
ris , qua socii milites dignoscebantur ab hostibus , ut
pro quibus & contra quos arma sumerent , appareret ,
quarum tesserae varia genera Imperatoribus usita-
ta recenset Alex. ab Alexand. gen. dier. lib. 4. cap. 2.
nec non Coler. in not. ad cit. loc. Ex qua tessera *Tess-*
rariorum nomen illis postea tributum , qui nocturna-
rum excubiarum tesseras tractantes , speculatorum mi-
nisterio fungebantur , juxta Cujac. lib. 6. Obs. cap. 33. vel
qui tesserae nunciabant per militum contubernia , ceu
Turnebus exponit *Advers. lib. 4. cap. 7.* Alia denique
sit *Tessera frumentaria* , qua exhibita unusquisque fru-
mentum à Praefecto annonæ accipiebat , de qua hoc in
loco præcipue sumus solliciti. Figuram harum
Tesserarum ita describit Andr. Turnebus , quod fue-
rint frustilla lignea quadrata , certâ insignita & notata
forma , iis dari solita , quibus jus petendi erat fru-
menti publici. *Advers. lib. 19. cap. 26.* Hanc tamen figuram
quadratam non semper in tesserae observatam fuisse , vel
ex eo patet , quod Polybius eas πλατεῖα appellat , qua-
si fuerint tabulae latæ & inscriptæ. Quin & Dio
tesseras , quas Impp. spargebant , σφαιρίας , id est glo-
bulos vel pilulas vocat , notante Turneb. cit. loc. Neque
hic prætereundum , quod Suetonius de Nerone refert.

in

in Ner. cap. 11. illum missilia populo omnium rerum sparisse, avium cuiusque generis multiplicem penum, TESSERAS FRUMENTARIAS, vestem, aurum, argentum, gemmas, margaritas, tabulas pictas, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetas feras, novissime naves, insulas, agros, atque hos ludos spectasse e proscenii fastigio. Id quod ita peractum fuisse exponit Turneb. d. cap. 26. ut tesserae, seu globuli certarum specierum notis inscripti in vulgus spargerentur, illaque ei, qui tessera rapuerat, darentur, unde Martialis lib. 8. Epigr. 78. canit.

Nunc veniunt subitis lafina numismata nimbis,

Nunc dat spectata TESSERA larga feras.

Tempus distribuendi istas tesseras principium cuiusvis mensis fuisse, auctor est Lipsius in Elect. cap. 8. Covarr. lib. 4. var. resol. cap. 1. n. 9. Bulenger. d. Imp. Rom. cap. 14. Idque Suetonius probat, quando de Octavio Augusto cap. 40. scribit, quod, ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis a vocaretur, ter in annum quaternum mensium TESSERAS dare destinaverit: sed desideranti consuetudinem veterem, concesserit rursus, ut sui cuiusque mensis acciperet. Quo quidem in loco Lævinus Torrentinus pro sui cuiusque mensis, legi debere Nonis cuiusque mensis suspicatur, atque ideo annonas quasi a via ratis vobis didicentes dictas fuisse, ex Suidi in verb. Novae tradit, quod Nonis cuiuslibet mensis frumentum populo dividi fuerit solitum. His ita prælibatis facilè jam intelligi potest, quid sibi velit JCtus Paulus in l. 49. §. 1. d. leg. 2. ubi ita scribit: Si Titio FRUMENTARIA TESSERA legata sit, & is deceperit, quidam putant extingui legatum:

Sed

Sed hoc non est verum: nam cui TESSERA vel militia legatur, estimatio videtur legitima. Nimirum cum Tessera frumentaria nil aliud designet, quam signum, quo exhibito frumentum a Principe impetrabatur, nemo non videt, quod Tessera ibidem pro jure percipiendi frumentum accipiat, illudque legari, immo per emtionem aut alio quodam titulo in alium transferri potuerit. Goth. ad d.l. 49. n.9. Budeus ad l. sed et si. ff. d. judic. Nostris moribus vocari posset eine Pfrunde / oder Spende. Ex quo insimul adpareat, quantas rugas agat Accursius, quando ad d.l. 49. lit. m. sequentem in modum commentatur. In civitate Romana est quoddam genus mensura, in qua frumentum ibi mensuratur, & vocatur TESSERA FRUMENTARIA. & non est alibi ea mensura. Quidam igitur Romanus mibi Bononiensi tessera frumentariam legavit, & ita mibi inutile est legatum, & videoas quasi non posse capere, cum Bononia non mensuretur frumentum cum tali mensura, queritur utrum valeat legatum? Et videtur, quod non, quasi sub conditione reliquerit testator, si esset mibi utilis ad mensurandum. Sed dicitur, quod valet legatum, & dabitur estimatio, sicut daretur estimatio militie, si mibi esset legata militia & eam capere non possem propter vitium persona mea: Similes ineptias jam memoratus Accursius effundit in sua Glossa ad l. 52. §. 1. d. judic. Ubi Ulpianus si libertis suis, ait, TESSERAS FRUMENTARIAS emi voluerit, quamvis major pars hereditatis in provincia sit, tamen Romae debere fideicommissum solvi dicendum est, cum appareat, id testatorem sensisse ex genere comparationis. Nugatur nimirum Glossator iste, Tesseras

Tesseras fuisse vasa, quibus mensurabatur frumentum in Româ; unde cum ea reliquerit testator videri voluisse, quod Româ præstarentur. Imo magis ridiculum is se præbet, quando hunc casum fingit, quo alicui Româ degenti, pone, decem tessera frumentaria, id est, decem corbes in alimenta essent relictae: & præsumi tunc, ait, quod Româ præstari voluerit testator, propter causam alimentorum, ne interim in itinere periret alimentarius. Rectius dicitur, tesseras frumentarias, libertis emehdas, id est, jus frumentum petendi à testatore legatum fuisse, idque fideicommissum Româ peti ab herede deberi, etiamsi major hereditatis pars in provincia sita sit. Decisi hujus ratio ex l. 47. pr. d. leg. 1. peti poterit, in qua idem Ulpianus docet: si res legata alibi sit, quam ubi petitur, ibi esse præstandam, ubi relicta vel sita est: Situm autem legatum hoc casu nostro fuisse Româ, facile patet, cum in nullo alio loco tessera frumentaria distribuerentur, nec frumentum præberetur. Eodem planè sensu accipendum est, quod Paulus habet in l. 87. pr. d. leg. 2. sequentem proponens facti speciem:

Titia Sejo TESSERAM FRUMENTARIAM comparari voluit, post diem trigesimum à morte ipsius. Quaro, cum Sejus vivat testatrix TESSERAM FRUMENTARIAM ex causa lucrativa habere capit, nec possit id quod habet petere, an ei actio competit?

Paulus respondit, ei, de quo queritur, premium TESSERA præstandum: quoniam tale fideicommissum magis in quantitate, quam in corpore consistit. Easdem, quas supra, quisquilius hic iterum venditat Accursius, dum Tesseras dicit esse vasa, quibus mensurabatur frumentum,

rum, sicut si præcepisset testator emi corbem, id est
mensuram frumenti: & notat, quod non legata sit tef-
fera in quantitate, sed in specie, licet in genere jussisset
testator comparari tessera, unde vel res vel pretium
dari beat, & quidem res, si possit redimi, pretium ve-
rò, si redimi nequeat. Quilibet inanes glossematis hu-
jus fabulas sine labore agnoscat, è contrario ex jam de-
ductis non modo ipsius legis casum, sed etiam ejus tum
dubitandi, tum decidendi rationem facile deprehendet.
Dubitandi nimis ratione præbet regula, quam Im-
perator inculcat §. 6. f. d. legat. duas sc. causas. lucrativas
in eundem hominem & eandem rem concurrere non
posse; hinc si legatarius vivo testatore rei legata domi-
nus factus fuerit ex causa lucrativa, legatum non deberi
videtur, sicuti etiam, quando ex duobus testamentis ea-
dem res eidem debetur, is qui rem ex uno testamento
consecutus est, agere amplius nequit. Veruntamen illud
de legato saltem speciei, non verò de legata quanti-
tate exaudiendum esse, evincitur ex l. 34. §. 3. d. leg. 1. quæ
quantitates sèpius testamento relinquunt & sèpius præstari
posse, docet, quo & collimat l. 12. d. probat. Cùm igitur
tessera frumentaria non speciem quandam, sed quanti-
tatem certam frumenti designet, sponte sua sequitur, le-
gatum illud, etiam si jam anteà titulo lucrativo ad lega-
tarium pervenerit, justè exigi posse. Atque ipsa hæc
expositio lucem, uti quidem opinor, affundit his, quæ
habentur in l. 35. pr. d. leg. 3. ubi Scævola quæsitus esse
memorat, si patronus liberto tribum emi petierit, &
libertus diu moram ab herede patroni passus fuerit & de-
cedens:

cedens hei edem reliquerit virum clarissimum, an tribus aestimatio heredi ejus debeat? nec non, an commoda & *Principales liberalitates*, quas libertus ex eadem tribu usque in diem mortis suæ consecuturus fuisset; si illi ea tribus secundum voluntatem patroni sui tunc comparata esset, debeantur? & utrumque deberi, JCtus respondet. Neque enim per *Tribum* hoc in loco progenies certa servorum, quam forte vicinus quidam patroni habebat; neque per *Liberalitates principales* id, quod forte aliquibus de istis servis, qui in dicta tribu erant, debetur, significatur, veluti hoc in loco iterum *Glossa ineptit*; sed *tribus* ut & militia emi dicebatur, cum quis in tribum vel militiam aliquo dato cooptabatur, l. 7. l. 11. C.d. prox. *sacr. scrin.* Alciat. lib. 1. parerg. c. 16. *Liberalitates verò principales* nulla erant aliae, quam tesserae istæ frumentariæ tribubus concessæ eisve annexæ, ut proinde harum quoque aestimationem legatarii heredem ab herede testatoris rectè petere posse, si legatarius moram ab eo passus esset, decidatur in d.l. 35. Add. Covarruy, lib. 4. *resolut. cap. 1. n. 9.* Ultimo demum loco illud quoque monendum, quod divus Justinianus Imperator in favorem annonæ istius & tesserae frumentariorum sancivit in Nov. 88. prohibens ne creditor denunciet i. e. interdicat erogatori sive *Praefecto* annonæ publicæ, ut administratio annonæ suspendatur, nec illi frumentum præbeatur, qui *TESSE-RAS* accepit ab annonæ *Praefecto*, cùm per ejusmodi denunciationem defraudetur quis eo, ex quo forsitan solummodo nutritur, & per quod ei tribuitur vita occasio, veluti Imperator loquitur d. Nov. *cap. 2. pr.* Et in tantum

quidem hanc denunciandi licentiam cunctis adimere
placuit Legislatori, ut si quis contra prohibitionem istam
egerit, omne daminum resarciat læso & simul usuras trien-
tes eidem solvat. Vid Scharschmid ad Nov. Ex. 15. tb. 9. seqq.

Quæ de Tesseris frumentariis jam dicta sunt, non
inconciñè ad honores academicos applicantur. Sicuti
enim tesserae istæ liberalitati Principum originem debe-
bant & ab iisdem proficiscebantur; ita academici tituli
& honores à summorum Principum clementia unice
dependent, & supremos Monarchas habent autores.
Sicuti porro Tesserae istæ symbolum erant principalis cle-
mentiæ, & jus percipiendi annonam publicam
præbebant: ita splendida ista nomina, quæ in acade-
miis conferuntur, signa sunt ac notæ eruditioñis acqui-
sitorum, quies insimul facultas tribuitur atque occasio præ-
betur, ea quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt, fa-
cilius comparandi & nancisciendi. Sicuti denique tesse-
rae frumentariæ nemini nisi ciui Romano & de Republica
bene merenti tribuebantur: ita elogia doçtoralia non nisi
iis largiri fas est, qui honestis moribus prædicti, virtu-
tive studio dediti ita vitam suam peregerunt, ut pro-
desse Patriæ, atque Rempublicam adjuvare, commu-
nemvè utilitatem promovere valeant. Inter tales præ-
cipue eminet, quemjam in publicum produco, supre-
morum honorum academicorum Candidatus clarissimus.

DN. CONRADVS SAMVEL EILHARD,
Juris praticus in celeberrima Annabergensium civi-
tate felicissimus,
eruditioñis ac scientiæ legalis indefesso labore
mobius parta

partæ tesseram ac symbolum à nobis expocens,
de cuius ortu, & studiorum progressu pro more
recepto nunc pauca proferre constituimus. Lucem is
adspexit in decantata Cheruscorum libera & imperiali
urbe Nordhusa, mense Augusto, superioris seculi anno
septuagesimo quarto, è celeberrimâ Eithardiana familia
oriundus, quæ in jam laudata civitate à multis retrò secu-
lis in præsentem usque diem floret, atque ordini senato-
rio haud interrupta serie viros dedit omnigena pruden-
tia conspicuos Reipublicam patriam saluberrimis con-
siliis strenue adjuvantes. Genitorem agnoscit integer-
rimum virum MARTINVM EILHARDVM,
mercatorēm quondam & collegii pannificum præfe-
ctum vigilantissimum, jam beatè defunctum: Matrem
vero laudat fœminam omni virtutum genere instru-
ctam, ANNAM CHRISTINAM è familia
DAMIANA amplissima ortam. Optimi hi pa-
rentes, cum dulcissimum natum tam domi, quam
in patria schola sub manu ductione eximiorum Fræ-
ptorum, imprimis M. CONRADI DVNCHELBER-
GERI, Rectoris in gymnasio isto dexterimi, bonis
literis imbui curassent, anno M DC XCVII. eundem
in Lipsiensium illustrem Academiam alegarunt, in qua
Legum studio Philosophiam junxit, atque tum singulo-
rum Professorum lectionibus publicis sedulò interfuit,
tum vero speciatim nobilissimi ac consultissimi D.
CHRISTIANI WEIDLINGI fidelissima opera in expli-
canda sua Philosophia juridica usus est. Brevi tem-
poris spatio interjecto, excellentissimum Jctum.

FRIDERICUM PHILIPPI , Facultatis juridicæ Assessorem , duo collegia , unum *Institutionum theoreti-co-Practi-cum* , alterum *Lauterbachianum cum usu forensi adornan-tem* , cupidissimo animo auscultavit . Tractationi quo-que *Pandeclarum synoptica* , nec non lectionibüs pra-cticis *ad ordinationem processus Saxonici* , ab excellentissimo D. LUDERO MENCKENIO , supremæ curia pro-vincialis , quæ Lipsiæ est , ut & Collegii juridici ibidem Assessore gravissimo suscep- tis sedulo interfuit , & fructum ex eis perceptit uberrimum . Notitiam præterea *juris publici* , *Feudali* & *Canonici* præcunte exquisiti ingenii JCto GOTTLIEB GERHARDO TITIO felicissimè hausit , ac denique celeberrimi JCti & Practici GO-THOFREDI BARTHI scholas *practicas* , quæ expeditum in foro procedendi modum commonstrabant , maxima- animi constantia visitauit . His ita ad finem perducis ab inclyta facultate juridica in prælaudata Academia Lipsiensi publicum eruditio-nis testimonium modeste expe-tiit , illudque , instituto prius solenni examine , facile im-petrauit . Hoc stipatus adminiculo conflictibus fori se-met committere decrevit , eumque in finem à Potentissimo Poloniarum Rege ac Saxonie Electore , ut in num-erum Advocatorum cooptaretur , supplicibus literis obti-nuit , publico diplomate per universas Electorales pro-vincias causas orandi & negotia tractandi forensia licen-tiam adeptus . Fato igitur quodam ad amoenissimam Annæbergensium civitatem delatus sedem ibidem fixit , & controversas causas agere tanta cum dexteritate ac suc-cessu cœpit , ut jam per triennium in nobilissimo va-tum

¶ (15) ¶

sum forensium coetu ferè emineret, summisque in jure
honoribus ab omnibus dignus judicaretur. Quo plausu
publico ex stimulatus ad Academiam nostram accessit, do-
cturæ juridicæ titulos, tanquam virtutis symbolum ac
tesseram eruditionis referre gestiens, cumque deside-
rium hocce haud illaudabile ordini nostro significasset,
nulli dubitavimus, eundem tot illustribus eximiorum
meritorum testimonii exornatum ad consueta primum
examina admittere, in quibus per exactas textuum eno-
dationes dubiorumque propositorum resolutiones spem
nostram de eo conceptam abundē implevit, & effecit, ut
in publicum jam prodeundi, & facultatem reliqua Candi-
datorum specimina edendi concederemus. Crastini igi-
tur diei hora X. antemeridiana in J.C. torum acroaterio ca-
thedram concendet, L. 2. C. d. jur. emp bytut. brevi ac
perspicua commentatione interpretaturus. Hisce co-
natibus Candidati nostri pereximii, ut Magnificus Do-
minus Proreector, Illustrissimi Domini Comites, Patres
Academæ excellentissimi, Doctores cæteri nobilissimi,
omniumque facultatum Studiosi eruditissimi præsentia
sua exoptatissima favere, & panegyrin' hanc-
ce illustriorem facere dignentur, collegi nostri nomi-
ne submisse, officiosè & per amanter contendendo, reci-
proca officii & honoris benevolentiaque genera-
singulis promittens. P.P. Jenæ.d.XXVI.
Mai A.O. R. M. DCCIV.



Jena, Diss; 1704

f

ULB Halle
004 582 462

3



VD18


56.

CHRISTIAN
CONSILIARI
IN A
COLLE
PROGRAM
TESSE

P.P. die

Farbkarte #13

B.I.G.



| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|---------------|------|--------------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
| Light Blue | Cyan | Light Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
| Dark Blue | Cyan | Dark Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
| Medium Blue | Cyan | Medium Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
| Light Purple | Cyan | Light Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
| Dark Purple | Cyan | Dark Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
| Medium Purple | Cyan | Medium Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |

